DE
AULAEORUM VELORUMQUE USU
ET IN VITA VETERUM COTIDIANA ET IN ANAGLYPTIS EORUM ATQUE PICTURIS.

PARS I.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GEORGIA AUGUSTA GOTTINGENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES CAPESSENDOS

SCRIPSIT

FELIX BUCHHOLTZ.

GOTTINGAE,

TYPIS EXPRESSIT E. A. HUTH.

MDCCCLXXVI.

Quantum intersit inter Graecorum ac nostrae aetatis pingendi rationem, optime O. Jahnius cognosse videtur, qui in describenda imagine, quae Pero et Cimonem in conspectum producit [1]), hoc fere dicit: Cum nostrae aetatis homines id quod totius picturae primo aspectu sentiunt, in animo semper retineant, veterum pictores, qui omnino ut facile intelligas et cum amore quodam rei studeas poscunt, ejus potius temporis momenti curam habent, quo ab omnibus rebus, quas parerga vocant, oculos remotos jam ad rem ipsam converteris. Quod quidem judicium maxime probandum esse mihi videtur. Nam parergorum illorum in iis quae recedunt partibus (omnia ea dico, quae nos voce „Hintergrund" complectimur) duae cognosci possunt proprietates, quarum prior in eo posita est, ut partes illae haud ita magna cura et diligentia sint perfectae, sed levibus potius lineis significatae, quam planius expositae. Nec tamen haec sunt e nostrae aetatis more, quo quae aguntur summa singularum rerum ubertate, levissimis saepe parergorum momentis non illustrantur, sed gravantur. Attamen bene valet etiam altera ratio, quae cum illa in veterum picturis plerumque conjuncta reperitur, unicuique picturarum generi, quin unicuique picturae ipsi parerga illa accuratissime accommodandi, ita ut ne minima quidem res levis momenti vel non necessaria esse videatur. Quae cum comparaverimus cum tertia quadam pingendi proprietate Graecorum (omnes enim fere in Campaniae oppidis retectas picturas aut ipsas aut earum exemplaria a Graecis artificibus esse

[1]) cf. Ternitii Pomp. Wandgemälde IV, 8.

profectas, Helbigius satis luculenter videtur mihi demonstrasse) eam dico proprietatem, ut in omnibus quae res mythologicas et quae humilia tractant picturis, lineas architeotonicas afferre soleant quam plurimas, quarum tamquam legum divinarum severitate et dignitate personarum vel rerum agilitati, cupiditatibus ac perturbationi animorum certus quidam modus impositus esse videatur, praeterea, ut propter hanc rem omnia, quae linearum illarum vim possint turbare, evitare potius quam quaerere studeant, haec omnia cum accuratius cognoverimus, Graecorum operum indoli maxime consentaneum esse non negabimus, velorum vel aulaeorum adjumentis, quibus nostrates occasione sive data sive arrepta picturas obumbrare student, ad loca vacua explenda veteres uti non solere, neque unquam hoc fieri, nisi vela illa ex consuetudine vitae cotidianae prompta scenam ipsam illustrant, rebusque veritatis quandam praebent speciem. —

Et magni quidem momenti hanc cognitionem esse puto eis, qui veterum artem plane intelligere volunt. Nam miro, ne dicam incredibili modo non tam res ipsas quam artificia in iis adhibita perverse interpretati sunt homines docti. Neque vero in picturis solum, sed etiam magis in veterum anaglyptis parapetasmata illa, quae vocant, interprete egent; cum adhuc docti homines semper doctrinam prioris saeculi, quamvis sit prava, amplexi in ea acquieverint. Quibus de rebus ut certius aliquid statuere possimus, antea aulaeorum velorumque usum cotidianum perquiramus necesse est.

Atque hinc exordium faciamus, ut quaeramus, num veteres tecta tricliniorum aliarumve diaetarum aulaeis ornaverint. Horatii locus ille celeberrimus de Nasidieni coena hic vexandus est: Sat. l. II, 8, 54

„Interea suspensa graves aulaea ruinas
In patinam fecere trahentia pulveris atri
Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.
Nos majus veriti . . . . . erigimur.“

Mazovius in libro „Palast des Scaurus“ (in linguam germanam translato et completo a Wüstemanno) cum dicat in tricliniorum partibus superioribus, ubi lecti et mensae

stabant, parietes usque ad certam altitudinem aulaeis copiosis tectos fuisse, cum cetera pars picturis, coronis, aliis rebus honeste fuerit decorata, haec habet infra adnotata: „Simile aulaeum ruens in mensam Nasidieni coenam turbavit.“ Wüstemannus deinde, qui recte quidem illa ex Horatii verbis concludi posse negat, nec interpretationem vulgarem, ex qua aulaeum idem esset, quod nos voce „Baldachin“ significamus, nec Heindorfii probans sententiam: in eis tricliniis, quae tecta laquenta non haberent, in tecto supra mensam aulaeum fuisse suspensum, ipse, cum de velo admissionis cogitaret, stultissimam dedit interpretationem. Aliter Marquardtius [1]) rem sibi disposuit, duce Fea. Omnino ille quidem aulaeum in mensam incidisse negat, pulverem solum, fortasse etiam calcis aliquid irruisse in patinam, cum aulaea in pariete affixa casu quodam ceciderint in terram. Audiamus si placet similem interpretationem Feae, cujus judicio Marquardtius nimis confidit; „fecerit ruinas, inquit, male exponunt pro corruerit, sed cadendo e muro traxerunt tantummodo pulverem in patinam ut nihil esset periculi pro convivarum incolumitate, quos alias obruissent.“ Jam vero quomodo verba satis dilucida „aulaea fecere ruinas in patinam“ aliter interpretari possis, quam ut ea in patinam cecidisse putes? Quaenam inveniri potest ratio, qua ruinam ita dividamus, ut aulaea in terram, pulverem in patinam irruisse credamus? Atque etiamsi eximia Feae subtilitas verum invenisset, nonne tum demum convivae magis, quam patina non modo tapetibus, sed pulvere etiam essent obruti, si haec de parietibus cecidissent? Certe Horatius convivas tapetibus involutos depingere non omisisset. Quod Fea dicit, aulaeum in mensam omnino non incidisse, hoc unum continere videtur verum, aulaea sub tecto affixa non tota irruisse in mensam verisimile esse, sed duabus fere laciniis solutis prolapsa, atque fortasse dependentia pulveris vim ingentem traxisse in convivas. Sic tantum verba „nos majus veriti“ vim habere videntur, cum convivae metuere debuerint, ne cum aulaeis tecta ipsa in

---

[1]) Röm. Privatalterth. p. 319 ff.

se irruerent. Neque ullo modo ea sententia defendi potest, qua mensa cum patina non intra convivas posita, sed ad parietem vel columnam aliquam, ubi caro dissecari, cibi disponi possint, seorsum collocata sit intelligenda; nam cum Nasidienus jam a versu 42 usque ad v. 54 sodales muraenae virtutes edocuerit, fieri non potest, quin sub omnium oculos patina fuerit posita. Itaque necessitate quadam ad illam, quam protuli sententiam reverti cogimur, aulaea sub camera fuisse affixa, testimoniis usi duobus scholiastis, quorum alter ad hunc quem tractamus locum haec habet: „quia consuetudo apud antiquos fuit, ut aulaea sub cameras tenderent, ut siquid pulveris caderet, ab ipsis exciperetur"; alter ad Virgilium Aen. I, 697 „ideo etiam in domibus tendebantur aulaea ut imitatio tentoriorum fieret, — unde et in thalamis hoc fieri hodieque conspicimus. Varro tamen dicit, vela solere suspendi ad excipiendum pulverem; quia usus camerae ignorabatur. Unde Horatius ‚interea suspensa' etc."

Ex his duo haec momenta concludi possunt certissima: Virgilii interpretem aulaea sub camera affixa suis ipsius oculis vidisse, primum quod imitationem tentoriorum factam esse dicit, quae parietibus tantum, non camera aulaeis ornatis dubia videri possit, deinde quod addit, „quia usus camerae ignorabatur." Sine dubio enim Varronis verba sola haec sunt: vela solent suspendi ad excipiendum pulverem"; eaque nec parietum nec camerarum respiciunt aulaea, sed vela in foribus et fenestris imprimis, fortasse etiam in atrio suspensa sunt intelligenda. Quae Varronis verba, cujus doctrina omnes Romani auctores ipsorum opera exornare quam maxime studebant, cum ab interpretibus male essent accepta, cum versu Horatii ita conjungebantur, ut diceretur aulaea sub camera tensa pulverem excipere debere. Stulte haec dicta sunt. Nam camerae auctore Vitruvio (VII, 3) solidissimae sunt. Tamen sinuosa atque rugosa aulaea, quae per longum tempus sub cameris sunt affixa, pulverem necessario excipere satis dilucidum videtur. At nemo dicere possit, nisi a Varrone deceptus, aulaea ad excipiendum pulverem esse suspensa. Attamen

stultior eorum sententia mihi videtur, qui ob hunc errorem auctoritatem scholiastarum omnino negligunt, eosque ab ipso Horatio in errorem ductos esse dicunt, cum eorum alter suis temporibus thalamos tentorii instar ornatos viderit, nec quomodo fieri potuerit, ut si tapetia modo in parietibus vidisset aulaea male interpretaretur, ullo modo possit intelligi. At Metellus Pius, ita Marquardtius ratiocinatur sagacissime, juxta parietes aulaeis contectos, laqueata tecta in domo habuit. Quid? Quod ille ita domum instruxit, cameram nusquam aulaeis distinctam fuisse credamus? Tamquam si hodie, cum audiveris, in regia aliqua tapetia ex pannis Damascenis facta, tecta autem lacunari esse ornata, id concludere audeas, ubicumque in conclavibus parietes pannis sint contecti, ibi cameram ex arundine calceque factam omnino esse non posse. Lacunaria in dies magis Romae percrebruisse, itaque saepius etiam aulaea in parietibus cum lacunaribus in uno conclavi fuisse conjuncta, certum est; nam cum versatilibus tabulis coenationes laqueatae miras quasdam delicias, oblectamenta innumerabilia offerre coepissent, aulaea muta cedere erant coacta. Neque hoc mirum videbitur eis, qui etiam parietes cubiculorum cultu insignium mox non amplius aulaeis, sed marmore potius lapidibusque excellentibus, picturis denique ornatos atque distinctos esse meminerint. Nam nec Statius nec Plinius in describendis villis aulaeorum habent ullam rationem. Ac ne forte quis miretur, cur praeter Horatii locum, duoque illa scholia alia hujus rei testimonia desint, Philostrati commoneo verborum, qui in libro „*τὰ εἰς τὸν Τυανέα Ἀπολλώνιον*“ [1]) haec habet: „*θάλαμοι δὲ καὶ ἀνδρῶνες καὶ στοαὶ τὰ μὲν ἀργύρῳ τὰ δὲ χρυσοῖς ὑφάσμασι, τὰ δὲ χρυσῷ αὐτῷ, καθάπερ γραφαῖς ἠγλάϊσται. τὰ δὲ ποικίλματα τῶν πέπλων ἐκ τῶν Ἑλληνικῶν σφίσιν ἥκει λόγων, Ἀνδρομέδαι κτλ.; φασὶ δὲ καὶ ἀνδρῶνι ἐντυχεῖν οὗ τὸν ὄροφον ἐς θόλου ἀνῆχθαι σχῆμα, οὐρανῷ τινὶ εἰκασμένον, σαπφειρίνῃ δὲ αὐτὸν κατηρέφθαι λίθῳ.*“ Itaque andronitis tholo est contecta, qui *οὐρανῷ* similis est. Voce

---

1) I, 25, 24 p. 15. 16 ed. Kayser.

autem οὐρανὸς Graeci (cf. Hesychium s. v.) tentorii tectum significant, in quo rex habitare solet. Festivorum tentoriorum ipsa tegmina textilia ab Athenaeo (V, 25) οὐρανίσκοι vocantur [1]), stellis ceterisque coeli imaginibus ornata, cum in hoc, quem tractamus loco, tectum sapphiris distinctum sit. Quodsi tholus in virorum cubiculo οὐρανῷ similis est, nihil aliud nisi ejus ornatus, id est, aulaea gemmis distincta intelligi possunt. Itaque cum omnis aulaeorum luxuria ex Asia profecta et in Graeciam et Romam migraverit, si ibi non solum parietes sed tecta etiam aulaeis ornata fuisse audimus, etiam Romanis idem de ipsorum institutis testantibus fides est habenda.

Jam vero quid de monumentis statuendum est? In picturis, quae solae hic respici possunt, aulaeorum velorumque usum satis esse circumcisum, ex eis, quae supra dixi, consentaneum est. Imprimis autem aulaea sub tecto fixa desunt, cum tecta ipsa in picturis perraro sese offerant. Nam ea ars, qua pictor efficit, ut quaedam eminere, quaedam recessisse credamus, minime apud veteres culta est, nisi ipsas picturas scenographicas respicimus. Itaque praeter illam quae Admetum atque Alkestim repraesentat picturam [2]) vix altera inveniri possit, in qua aulaeum tectum ornans conspiciatur. Neque hoc exemplum sine ullo dubio afferri potest, cum alii ita interpretari possint, ut dicant, id aulaeum esse repraesentatum, quod, demissum, in domibus veterum saepius locum quarti parietis tenet, hic autem est sustentum. Picturae autem scenographicae, si recte eas intelligimus, optime quod quaerimus possunt docere; nam hae legibus optices solutis omnium rerum perspicuitate atque pelluciditate, ut ita dicam, multa quae alias numquam fere inveniuntur, ostendunt retecta. Modo ne credas propter hanc legum dissolutionem omnes res singulas esse fictas, nec verum ex veri similibus posse cognosci. Optime picturae in thermis Titi inventae rem demonstrare videntur; cf. Poncii description des bains de Titus.

---

[1]) cf. Böttícheri Tektonik der Hellenen I, Excurs 6.

[2]) cf. Overbeckii Gal. her. Bildw. XXX, 13.

Sub no. 44 amplae domus parietis interior frons est ante oculos posita, ita ut et superior et inferior tabulatio conspici possit. Inter utramque domus partem camera vel tectum est omissum, sed tecti aulaea, cum artifici satis amplam ludendi occasionem praeberent, magnis sinibus suspensa sunt. Conferas cum hac aliam sub no. 6 positam, ubi ex umbra et recessu aulaea plana (in modum tecti) collocata esse vides.

Denique ut aulaea sub cameris, etsi non per longum tempus, Romae adhibita esse credas, ea res non minimi momenti esse videtur, quam Petersenius[1]) protulit. Nonnullas enim picturas in thermis Titi inventas (etiam eam quam Petersenius edidit in Mon. Ined. VI. tab. 49) omnino recte intelligi posse negat, nisi id in animo habeas, illis picturis id effici debere, ut spectatores, si non fallantur, attamen moneantur magnorum tapetium sub tectis suspensorum („non potendo mai esser l'intenzione di voler produrre illusione, ma solamente di accennare e di ricordar i tappeti"). —

Sed haec hactenus. Facilius est de aulaeis quae parietes contegebant, disserere. Ex iis quos jam Marquardtius protulit locis, Sallustii hist. fragm. II, 29, ubi Q. Metelli in Hispania adventus celebratur verbis: „cum ad coenam invitassent ultra Romanorum ac mortalium etiam morem curabant, exornatis aedibus per aulaea et signa, scenisque ad ostentationem histrionum fabricatis, simul croco sparsa humus et alia in modum templi celeberrimi" et Valer. Max. IX, 1, 5 ubi de eodem: „Quid sibi voluit Metellus Pius tunc, quum in Hispania adventus suos ab hospitibus aris et ture excipi patiebatur? quum Attalicis aulaeis contectos parietes laeto animo intuebatur, quum immanibus epulis apparitissimos interponi ludos sinebat? quum palmata veste convivia celebrabat, demissasque lacunaribus aureas coronas velut coelesti capite recipiebat?": ex his, dico, jam concludi potest, usque ad finem septimi a. u. c. saeculi aulaeorum luxuriam in domibus privatorum fuisse

---

[1]) in Annali del' Inst. 1861. p. 195 ff.

perraram, cum etiam Sallustius inauditam illam vocaret; sed Valerius Maximus aut Q. Metelli tempora respicisse videtur, aut prioris aetatis auctorem sequi. Nam Augusti jam aetate luxuriam pervulgatam fuisse, testatur Horatius [1]). Atque imprimis atrium Romanorum, sanctuarium domus, ubi Metellus ara et ture exceptus est, et coenacula aulaeis exornata fuisse videntur. Praeterea autem cubicula, imprimis feminarum. aulaeis erant decorata, cum scholiasta ad l. l. adnotaret: „unde et in thalamis hoc fieri hodieque conspicimus." Hunc gynaecei ornatum Romanos a Graecis recepisse, optime ex Apollonio Rhodio cognoscitur: Arg. I, 755: *Βῆ δ' ἴμεναι προτὶ ἄστυ φαεινῷ ἀστέρι ἶσος, Ὅν ῥά τε νηγατέῃσιν ἐεργόμεναι καλύβῃσιν Νύμφαι θηήσαντο δόμων ὕπερ ἀντέλλοντα*, etc. Vox *καλύβη* pro *γυναικείῳ* mira videtur cum alias tentorium vel casam significet; nam Lucianus [2]) verbis „*στενοχωρίαν*, *καὶ σκηνὰς καὶ καλύβας καὶ πνῖγος*" eundem locum intelligi vult. Scholiasta autem rem ita interpretatur „*καλύβῃσιν* — *ταῖς διὰ τῶν ἱματίων κατεσκευασμέναις, ἃς καλοῦσι παστούς*. Itaque certum est, Graecos tertio a. Chr. n. saeculo velis pictis ad ornanda cubicula fuisse usos; sed quarto jam saeculo, hoc est, postquam Graeci in expeditionibus Xenophontis, Agesilai, aliorum, Asiae luxuriam ipsorum oculis viderunt, atque suavitatem vitae degustaverunt, hunc usum bene fuisse notum, ex aurea lamina pharetrae scythicae apparet, quam Stephani edidit (compte rendu 1864, tab. 4). Gynaeceum enim illa exhibet velis ornatum, de quo infra dicendum erit. Quae lamina, cum non modo arte ipsa, sed etiam figurarum vestitu Graecum opus se praebuerit, propter lineamentorum eximiam gratiam artemque fingendi quarto saeculo jure est adscripta. Itaque velorum pictorum usum jam dudum apud Graecos notum fuisse judicandum est. Propterea etiam Romanos jam antequam Attalus eos divitiarum suarum instituit heredes ex consuetudine Graecorum vela picta in coenaculis et thalamis adhibita novisse

---

[1]) Od. III, 29, 14.

[2]) Herodot cp. 8.

puto, etsi raro iis utebantur. Neque si ita statuimus grammaticorum notitiae infirmantur, qui aulaea ab Attali aula ita appellata esse judicantes ab hoc demum tempore aulaeorum usum vulgatum esse dicunt. Nam voce aulaea ea semper significabantur vela, quae ex pretiosissimis, purpureis textis, auro pictis, constabunt. Quam luxuriam Attali muneribus ipsis Romam transportatam esse credibile est, cum antea Graeci velorum pictorum cognitionem pervulgassent. Per longum tempus hanc aulaeorum luxuriam fuisse cultam Tertullianus ostendit, qui [1]) „proinde, inquit et vestium, de coloribus servi etiam eorum terunt, sed et parietes Tyriis et hyacinthinis et illis regiis velis, quae vos operose resoluta transfiguratis, pro pictura abutuntur.“ Diaboli inventionem esse illa regia vela existimat: ‚non placet deo, quod non ipse produxit, nisi si non potuit purpureas et aerineas oves nasci jubere; si potuit ergo jam noluit.“ Etiam hoc loco e purpuereis et aerineis ovibus regiorum velorum purpuram et aurum proprium esse apparet; sed quomodo Tyria illa et hyacinthina vela, nisi auro omisso, discerni ab illis possint, non est perspicuum. — Jam vero cum aulaeorum usum in domibus privatorum inde ab initio octavi a. u. c. saeculi pervulgatum fuisse cognoverimus aliorum auctorum locos aliquot perstringamus, qui nondum satis cogniti videntur esse. Puto enim Vergilium in Aen. I, 637 cum de regia Didonis adventu Aeneae haec habeat

„At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis
Arte laboratae vestes, ostroque superbae“ etc.

vestibus illis non modo vestes stragulas intelligi voluisse, sed etiam aulaea, quibus parietes contegebantur, et quae saepius fortasse et colore et pannis cum ostro super spondas et lectos posito congruebant. Sicut adventu Q. Metelli, etiam hic atrium regiae ornatur. Etiam verba illa satis ampla „at domus interior regali splendida luxu instruitur“ ad interpretationem meam firmandam sunt apta, et qui sequuntur versus 697 sq.:

---

[1]) de cultu femin. I, 7 p. 173B Rigaltii.

„Cum venit aulaeis jam se regina superbis
Aurea composuit sponda, mediamque locavit“

necessitate quadam ita intelligendi sunt. Nam Heynii ad hunc locum interpretationem non recipiam, cum ad v. 639 respiciens aulaea vestes stragulas spondae et toro injectas esse credat. Cui obstat ea res, quod si Heynium sequeremur, duplici modo significaretur sedendi locus „sie lagerte sich auf kostbaren Teppichen, auf goldenem Ruhebett“, quam rationem aliter poeta descripsisset. Nec si spondam aulaeis superbis auream intelligendam esse censeamus, verum cognoverimus, cum vestes stragulae auro intextae nusquam memorentur quod molestae atque incommodae essent, et cum spondae pedibus aureis fultae satis sint notae. Imprimis autem nullum inveniri potest testimonium, quod doceat, aulaeum dici posse pro veste stragula. Lexicographi ad Vergilium et Curtium relegant, sed duobus illis locis ex Curtio Rufo desumptis aulaea aliter interpretemur oportet, de quo infra dicendum videtur. Itaque Wagneri potius sententia in editione Vergilii minore his verbis exposita „puto loco in modum tentorii aulaeis intento“ excipienda videtur. Hujus ablativi usum qui pro locativo positus est, illustrare possumus Ovidii dictione, qui haec habet in libro ex Ponto: I, 3, 52 Non salices ripa, robora monte virent. IV, 9, 31 media sedet aede. cf. Fast. l. II, 229 steterit Jovis aede; VI, 11 jacens ripa etc. Eodem modo „aulaeis superbis“ poetice dictum est pro domo aulaeis distincta; atque ita Wagnerus melius rem expressisset, nam tentorii instar non habet atrium, dum tecta, quae etiam hic laqueata sunt, carent aulaeis. Sed fortasse Wagnerus tentorium ipsum, quod nos „Baldachin“ vocamus in atrio intentum fuisse credat. Hoc nullo modo ferri potest, cum ejusmodi rei omnia nos deficiant indicia. Revertamur ideo ad Cerdae, quem Heynius cum injuria repellit, interpretationem loci: „Dido composuit se in sponda aulaeis superbis tensis, id est obductis [aut tecto aut] parietibus hoc tapetium genere“; modo rejectis verbis „aut tecto“ nam tecta erant laqueata. Tamen in hoc Cerdam valde errasse censendum est, quod eorum sententiam, qui pro vesti-

bus aulaea acceperunt, ut Dido dicatur aurea aulaeis superbis, id est pictis vestibus, non prorsus refellit, sed: posse aliquem sic accipere judicat. „Nam cur, inquit, non aulaea sumantur pro vestibus ut vestes pro aulaeis grata quadam vicissitudine? Deinde Nonius Varronis aulaea interpretatur „genus vestis peregrinae." Quae grata vicissitudo vix laudanda est, quod vestis quidem amplam significationem habet, ut omnem pannum sic appellare possimus, aulaea autem minime. Singularis jam atque translatus est usus verbi „vela" apud Ciceronem [1]) „quos pexo capillo nitidos videtis, mancatis tunicis, velis amictos, non togis." — Recte haec omnia disputata esse pictura ex Vergilii codice Vaticano desumpta optime cognoscitur, quam vides apud Millinum Gal. mythol. II, 176, 647. In medio lectulo tapetibus strato Dido consedens, cum ad dextram Aeneas, Bitias ad sinistram sedeant, duobus digitis porrectis, qua ratione Italici salutari solent, hospiti advenienti salutem dicere videtur, sicut etiam apud Vergilium Dido blande et comiter eum compellat. Aulaea in tergo convivarum optimum sunt specimen verum esse, quod contendi.

Alterum etiam Vergilii locum aggressuri sumus, qui est in Georgicorum libro II, 464. De felicitate agricolarum poeta agit, qui

„Nec varios inhiant pulchra testudine postes
Inlusasque auro vestes, Ephyreiaque aera,
Alba neque Assyrio fucatur lana veneno."

Hic inlusas auro vestes aulaea esse parietes ornantia etsi non necessitate quadam concedamus oportet, tamen consentaneum est, juxta portas arteficiosas atque statuas (aes Corinthium) cubiculi parietes imprimis nos admirari. Denuo etiam vestes auro intextas male lectis commodas esse moneo; quibus alba lana aptior videtur, quae a poeta in proximo versu laudatur. Itaque ne poetam bis idem dicere concedamus, Heynii interpretatio, qui ludendi causa intextas auro vestes stragulas intelligendas esse censet, re-

[1]) Cato II, 11.

futanda est. — Hic mihi in mentem venit locus Juvenalis qui (Sat. VI, 226) de nova nupta aliqua haec dicit:

„Ornatas paulo ante fores, pendentia linquit
Vela domus et adhuc virides in lamine ramos.“

E. Weberus in notis translationi germanicae additis ea vela accipi vult, quae portarum loco conclavia domus interiora concludunt. Sed videamus, num hoc ferri possit. Foribus ornatis non eadem significari, quae velis, sed fores exteriores domus intelligendas esse apparet, nisi tautologiam statuere volumus; itaque cum domus fores ornatae, viridesque in limine rami festivi hic descripta sint, quid sibi volunt vela illa vulgaria atque usitata, quae ad domus cultum et ornamentum nihil attinent, cum quotidie spectentur? Itaque aulaea sunt in atrio vel in thalamo suspensa, quae sola hic respici possunt. — Aulaeorum usum non satis adhuc fuisse notum etiam ex eis, quae sequuntur, cognoscere licet: Apud Tacitum (Annal. XIII, 5) haec legimus „(patres) in Palatium ob id vocabantur ut (Agrippina) adstaret additis a tergo foribus velo discreta, quod visum arceret, auditus non adimeret.“ Quem locum ita interpretatur Nipperdeius „man machte hinter den Senatorensitzen eine neue Thür, um nicht einen der gewöhnlichen Eingänge zu verschliessen, und zwischen dieser und dem Vorhang barg sich Agrippina.“ Sed cur non ostiorum quae aderant, unum concluserunt? Ne senatores hac re stupescerent? quos cum nova porta appareret, velo non occultata sed ostentata, non stupescere crederent? Cur tantas molestias sibi imposuit, cum idem facilius posset adipisci Agrippina? Conjectura difficultas levanda videtur. At codices ad unum omnes „abditis foribus“ exhibent. Agrippina ergo post senatorum sedes, velis (intelligas pictis) foramine, quod aderat, clauso aulaeis, quae parietem ornabant, fortasse dispansis, commodum receptaculum sibi constituit, ut verba senatorum posset audire. Itaque quod omnes codices exhibent, „abditis“ restituere non dubitamus. Atque hic vocem „velo“ ad „abditis“ positam esse censendum est, „damit sie, durch eine vermittelst eines velum den Augen entzogene Thür verdeckt, gegenwärtig sein könne.“ Con-

feras cum hoc loco similem narrationem apud Plutarchum[1]), ubi haec leguntur: „αὐτὸς δὲ τοῦ θαλάμου τὸν ὄπισθεν τῆς κλίνης τοῖχον ἐκκόψας καὶ θυρώσας κατεκάλυψεν αὐλαίᾳ τὰς θύρας. Eadem ratione aulaeo clauditur foramen, quod hic quidem ad finem propositum subito factum esse audimus, sed quod multo facilius etiam conficiendum fuisse verisimile est, quam in palatio Romano. Omnino autem de codicum Taciteorum scriptura recedere nullo modo cogimur.

Venio ad alium aulaeorum usum utilitate praestantem. In veterum domorum cavaediis, et in ipso atrio et in peristylio, quod vocatur, aulaea inter columnas ita expandi solita esse, ut ab iis cubiculis quae circa columnas sunt et solis ardores et ventus frigusque hiemis abstinerentur, notum est ex Digestis Ulp. (XXX, 7, 2) ubi legimus: Instrumentum domus id esse (dicit) quod tempestatis arcendae causa paratur, non voluptatis causa itaque neque specularia neque vela, quae frigoris vel umbrae causa in domo sunt .... vela autem Cilicia instrumenti esse Cassius ait, quae ideo parantur ne aedificia vento vel pluvia laborent. De velis quae in hypaethris extenduntur, item de his quae sunt circa columnas Celsus scribit magis supellectili adnumeranda." — Quae instrumenta, vel suppellex domus etiam inter dona enumerantur, quae Odrysae regibus offerunt, cf. Thucydid. II, 97, 3: χωρὶς δὲ ὅσα ὑφαντά τε καὶ λεῖα καὶ ἡ ἄλλη παρασκευή. Itaque non recte Classenius ad hunc locum admonet, vertendum esse „und auch Hausrath, so dass nicht die Zeuge zur κατασκευή gehören." Vox ἄλλη hoc loco vulgarem habet significationem. — Alterum etiam Digestorum locum afferre juvat, (XIX, 1, 17) ubi juridici inter res, quae ad domum ipsam pertinent, et eas, quae instrumenta domus sunt differre student. Ad domum pertinent pictae tecti tabulae crustaeque marmoreae; „reticula autem circa columnas item Cilicia vela aedium non sunt." Sunt qui dicant, haec reticula vela esse inter columnas suspensa. Non recte judicant. Unde vela recticula appellari possunt? Sine dubio vestimenta columnarum re-

---

1) Artax cp. 29.

tibus similia intelligenda sunt, quibus ne picturae in columnis tempestate perdantur prohibent. Festis diebus haec retia solvuntur, aut pretiosis velis ornantur columnae; nam vela „quae sunt circa columnas“ in priore, quem produxi, Digestorum loco, aperte hunc usum demonstrant. Reticula autem illa saepius in marmore columnarum imitabantur veteres, cujus rei monumenta Pompejana sunt testes. De reticulis etiam Aelius Spartanus dicit, qui lectum minuto reticulo commemorat (cf. Ael. Verus cp. 5). Hic „cancelli“ nullo modo intelligi possunt, quomodo Bötticherus [1]) reticula interpretatur, quae in Digestis commemorantur; itaque utroque loco vestimenta vel tutamenta velorum loco adhibita sunt intelligenda.

Jam vero cum aula domus umbrosam atque jucundam sedem praeberet, cujus amoenitatem in locupletiorum domibus praeter viridia fontes et aquae salientes augebant [2]), vario modo veteres ea utebantur, et ut coenam ibi prenderent, et negotia tractarent. Nam etiam porticus, vel aulae singulas partes velis ab columna aliqua ad parietem adversum ductis saepissime esse divisas Helbigius [3]) monet, cum Pompejis clavi non modo in superiore parte columnarum sed etiam in adversis parietibus inveniantur. Itaque si Vulcani officinam ita depictam esse videmus [4]) ut pars aedis columnis fultae velo concludatur, hoc non ingenio soli atque libidini tantum artificis adscribamus, qui partes picturae reductas explere voluerit, sed, quamquam ita res distribuere artificis esse non modo concedimus, sed etiam ut ita agat poscimus, ex usu veterum cotidiano sumptum esse apparet. Hanc partes aliquas domus velis obductis segregandi amoenitatem Graeci jam Hyperidis temporibus cognoverant. Pollux enim (IV, 22) hujus oratoris verba affert ex oratione *κατὰ Πατροκλέους*: *„οἱ δὲ ἐννέα ἄρχοντες εἱστιῶντο ἐν τῇ στοᾷ περιφραξάμενοί τι μέρος αὐ-*

---

[1]) Tektonik der Hellenen IV, p. 68.
[2]) cf. Gell. Pompeji II, 64, p. 144.
[3]) Untersuchungen über die campan. Wandmalerei p. 341.
[4]) cf. Helbigii Wandgemälde Nr. 1318 c; cf. tab. 17 c.

τῆς αὐλαίᾳ. Ac similia a Curtio narrantur (VIII. 5, 21 [20, 21]), Alexandrum cum post aulaea staret quae lectos obduxerat, convivarum sermones captavisse. Ex his omnibus quae protuli testimoniis id concludi potest, moris fuisse in tergo convivarum aulaea suspendere aut inter columnas pansa, aut in parietibus fixa, aut denique in modum parietum plicatilium collocata, qui apud nos „spanische Wände“ appellantur (cf. etiam Curtii l. IX. 7, 15 [28, 25]). Hac re cum prohiberetur ne venti meatus convivis calefactis noceret, sermonesque undique exciperentur a pueris, sodalitatis etiam augebantur jucunditates.

Reliquum est ut animos vertamus ad monumenta quae hunc, de quo adhuc disseruimus, aulaeorum usum illustrant. Jam de aliquot picturis dictum est. Quae super sunt, ea ad anaglyptorum imprimis genus pertinent. Atque de his Böttigerus [1]), ut ex multis, qui idem sentiunt, unum laudem, judicium profert quod mea quidem sententia minime probandum est. Dicit enim de ea veterum ratione, qua loca atque tempora per artem symbolicam leviter significare solent. Animum eorum ad rem ipsam conversum illa planius indicare contemnere et ejusmodi parerga negligere. Sicut in pictura, quae nuptiae Aldobrandinae vocatur, paries in tres partes divisus locum triplicem significet, ita in aliis ejusmodi scenis ubi thalamus, vel conclave indicari debeat, facillime hoc velis suspensis significari, exempli causa in anaglyptis quae Medeae fabulam illustrant. Jam vero etiamsi Boettigerus accuratius quam ceteri omnes, aulaeis cubiculum certum depictum esse cognovit tamen in eo, quod hunc significandi usum symbolicum esse ratus, cum ea comparat ratione, qua in nuptiis Aldobrandinis pingendis usus est artifex, omnium vitiorum fons cognoscendus est. Recte ille quidem artem symbolicam Graecorum laudat, satis dilucidam, attamen non difficilius est perspectu, artem Graecorum, cum laudis fastigium ascendisset paulatim primum, deinde velocius non ideam amplius, sed naturam esse secutam, quam plane et accurate imitari summa laus esse

[1]) Aldobrandinische Hochzeit p. 20.

videbatur. Itaque paucas prioris temporis picturas, quae nobis servatae sunt, a ceteris, quas in Campaniae oppidis inveniuntur picturis, et quae omnes fere Helbigio teste Alexandro mortuo natae sunt, differre eadem necessitate cogimur, quam anaglyptorum genera varia. Nam in picturis quae mortem Iphigeniae imminentem [1]), quae Phrixum et Hellen [2]), nuptias denique Aldobrandinas ante oculos ponunt, actionis locus aut omnino non, aut simplicissima ratione depictus est; quibuscum si magnam vim aliarum, etiam earum, quas Philostratus describit imagines, comparaveris, parerga numerosa addita esse cognosces, quae etsi non eadem cura ac diligentia sunt tractata, tamen summam naturae ipsius imitandae studium ostendunt. Juxta Memnonem mortuum (apud Philostratum Imag. I, 7) amplam Trojae planitiem, tuguria et castrorum vallum, urbis denique muros describit munitos; I, 17 stadium, in quo Pelops Oenomaum vicit procorum cenotaphiis saeptum fuisse audimus, et in describenda pictura illa celeberrima, quae Pindarum puerum apibus altum repraesentat, Philostratus ipse (II, 12) dicit: „*οὐκ ἀτακτοῦσιν, ἴσα τῇ φύσει διαποικιλλούσης αὐτὰ τῆς γραφῆς*“.

Eandem progressionem, si progressionem id appellare licet, quod recedere a fastigio artis melius vocaretur, anaglypta antiqua persequi, quis est qui neget? Poetae dramatici scenae magistri res veras imitari docuerunt artifices, ut cum in Phidiae operibus (zophorum imprimis in Athenae templo intelligas) ne minima quidem sit loci significatio, in anaglyptis, quae fabulas Phaedrae, aliorum ante oculos ponunt, scenae institutiones ipsas recognoscere putes. Cum hoc naturae imitandae studio conjunctum est alterum, quod spatium inane in dies magis explere cupit. Jam in zophoro templi illius Apollini Phigaliae exstructi in vestium fluitantium sinibus hoc studium apparet. Quid mirum si artifices aulaeis vel pictis velis, ubi primum in Graecia percrebescere coeperunt, eorumque in thalamis et coenationibus usus

1) apud Helbig. s. n. 1304.
2) apud eundem s. n. 1286.

certus ac firmus constaret, hanc optimam occasionem arripientes ubique utebantur, ubi thalamum vel coenaculum repraesentari oportebat. Qua quidem re non modo veritati appropinquabant, et explendi studio sufficiebant, sed etiam pulcherrime, quas debebant, personas concludere poterant. Primum quod certius tempore definiri potest monumentum, pharetra est illa aurea scythica saeculi quarti. Antea vix quisquam Graecorum naturam ita imitabatur. Nemo itaque anaglyptum prioris temporis inveniet, in quo aulaeum sit indicatum; nam pauca quae exstant exempla aut artis antiquae modum imitantur, aut omnino novae aetati adnumeranda sunt. De quarto demum saeculo id contendi potest, quod Boettigerus (Aldobr. Hochzeit) dicit, feminarum graecarum conclavia asiaticis gynaeceis similia cogitanda esse, cum ornatu et cultu eis appropinquarent. Quare in omnibus illis anaglyptis, quae convivia vel symposia celebrant, aulaeis suspensis coenaculum ipsum ab artifice depictum esse judico. Conferas anaglyptum apud Gerhardum [1]) et alium apud Claracium [2]) ubi bis gregem satyrorum et baccharum epulo conjunctam vides; utrimque locus velis est ornatus, quae in arcus formam sunt suspensa. In anaglypto Parisiensi velorum loco vestes rhoiscis gravatae neque ordine nec cura expansae esse videntur. Atque ut in ejusmodi monumentis non domum interiorem, sed certum conclave velis repraesentatum esse credas, conferas illud exemplum in Mon. Ined. 1866 tab. 80 editum. Aulaeum post terga convivarum ad laevam manum modo usque ad mensarum, non anaglypti finem pertinet; culina in qua puer ad caminum occupatus est, bene a coenaculo est segregata. Nam quid dilucidius afferri possit? Denique anaglypta Vaticana afferantur, quae quod certi sepulcralium monumentorum generis sunt, maxime memoria digna sunt (cf. Pistolesium IV, 50). Vir barbatus maesto ore in lecto jacet cum conjuge; crateram ad dextram vides; pueri duo, quorum alter satyrus esse videtur, vino ministrant epulum.

---

1) Antike Bildwerke tab. 108.

2) Musée de sculpture II. 139, 139.

Parapetasma in pariete summi momenti esset, si definiri posset tempus, quo factum est monumentum. Quo arbitrio abstineo, quoad meliorem, quam qua nunc utor, imaginem non habeo.

Praeter coenacula imprimis dormitoria cubicula cum virorum, tum feminarum aulaeis ornata videmus. Quam ob rem in duobus anaglyptis (altero Musei Capitolini apud Richettium IV, 35 = Millin. G. M. II, 104, 415 altero apud Claracium M. de Sc. tab. 201) quae Meleagri mortem depingunt post lectum parapetasma conspicitur. Atque in illo quidem Atalanten videmus consessam, non in lapide, ut Millinus dicit („rocher“) sed in re quadam obscura, quae certe ad domum pertinet. Nam quamquam Atalante alias in montibus pervagatur, ibique fere semper conspicitur, tamen hic aulaeum usque ad ejus tergum tractum juvenem amatum in cubiculum secutam illam esse ostendit. Ecce veli plicaturae graves, quibus ad dextram haec actio ab altera, quae mortem avunculorum ante oculos ponit, acriter secernitur. Haec res magis etiam in altero monumento conspicua est. Nam vestis illa quae juxta lectum est, nullo modo pro amiculo aliquo haberi potest, sed ex eo quod artifex imitatus est exemplo partem aulaei relictam esse puto, cum plicatura illa ampla ad duas fabulae partes discernendas ille optime posset uti.

Atque si in gynaeceum ipsum intrare placet longa monumentorum series proferri potest, quae omnia aulaeorum in iis usum illustrant: In primo loco pono anaglypta illa ex Foro Palladio Domitiani (cf. Wieseleri D. d. a. K. II, 56, 346). In parte altera Pallas inventrix atque adjutrix operum feminarum celebratur, quarum hae lanam tractant, illae vestem dissecant, aliae nescioquid agunt. Gynaeceum ornatum est velis, quae indicantur magis quam explicantur. — Magis etiam ad nos pertinere puto prostypa Musei Pii Clementini (ap. Viscontium IV, 17) ubi Niobes filiae mortuae in gynaeceo aulaeis distincto jacent, cum in altera

parte filii necentur ruri [1]; et alia etiam Vaticani anaglypta simillima apud Pistolesium Il. Vatic. IV, 46; nam eodem modo loca sunt opposita. In gynaeceo quinque puellae studiose disputare videntur, dum foris puerorum alii rixantur, alii ludis occupati sunt. Idem gynaeceum conspicitur in anaglyptis apud Millinum G. M. II. 144, 122, ubi Ledae partus, et in pictura in thermis Titi inventa apud F. Sicklerum (Almanach aus Rom. II, tab. 3) ubi Titus ejusque soror modo nati celebrantur. In prostypis, in quibus Ares atque Aphrodite amantes a Vulcano oppressi depinguntur (apud Millinum G. M. I. 38, 168; cf. Winkelmannum M. J. 27) aulaeo singularem in modum usus est artifex, ut a Vulcano, laciniam veli tenente, vestem amantes occultantem retectam esse credamus. Attamen de veste vel tegumento aliquo nullo modo cogitari potest. Eximium quoddam atque subtile artificium in hac re positum est, quo efficitur, ut totam scenam strenuo perspiciamus. Si ita Winkelmannum intelligere volumus, sed non nisi ita, ejus interpretatio accipienda videtur haec: „Vulcaine élève dans sa main un rideau de lit, *emblème de la situation* dans laquelle il surprit la belle Cithérée auprès de Mars". Simul artifex ne ludibria oculorum perdat, velum cum Aphrodites veste ita conjunxit, ut nescias, utrum in velo, an in veste sua dea pudore affecta sese occultare studeat. Quomodo fieri potuerit, ut homines docti in hoc vel similibus exemplis rete illud cognoscere putarent, quo Vulcanus amantes circumvenit, atque decepit, non perspicuum est. Etiam in nummo Aphrodisiae, oppidi Cariae, quem Clemens Sibelianus [2]) edidit, post Aphrodites et Aris figuras conjunctas velum conspicitur, de quo alias disseram; hoc moneo verba Sibeliani „hinter ihnen ist in Form eines Zeltes das ausgespannte Fangnetz sichtbar" prorsus esse rejicienda. —

Atque ut denuo etiam pharetram illam Scythicam, supra jam memoratam [3]) afferam: non minimi eam momenti

---

[1]) cf. Preller, Gr. Myth. II, 382 Anm. 2.

[2]) Zeitschrift für Münzwesen von Huber und Carabacek 1870, tab. VIII.

[3]) aqud Stephanium, compte rendu 1864, tab. IV, p. 142.

esse puto, ut aulaeo non domum indicari sed conclave certum depingi cognoscas. Nam in parte inferiore Alopen videmus cum nutrice et amicis in gynaeceo colloquentem, cum ad dextram ab illo segregata aula domus posita sit, in qua pater propter filiae partum iratus juxta aram Jovis Tutoris sedet. — Quod deinde ad anaglypta illa attinet, quae Medeae fabulam ostendunt (cf. Diltheyi de iis quaestionem in Annali dell' Inst. 1869. p. 5) thalamum in iis aulaeis distinctum repraesentatum esse non potest negari, cujus etiam porta plerumque floreis sertis ornata est (de quo usu Diltheyius p. 15). In exemplo a Winkelmanno publicato [1]) servus thalamum modo ornans monet nos Juvenalis verborum supra laudatorum, et Claudiani versuum illorum [2]):

„Pars altos revocant currus, frenisque solutis
Vertunt emeritos ad pascua nota jugules;
Pars aulaea tenent, alii praetexere ramis
Limina et in thalamis cultas extollere vestes".

Vix etiam refellenda est Winkelmanni explicatio aulaei prorsus falsa, qui „les Grecs, inquit, plaçaient à la porte de cet appartement (de la nouvelle mariée) un voile, qui pouvait se replier à la manière de nos paravens. Il s'appellait parapetasma". Sed etiam O. Jahnii sententiam [3]), parapetasma, quod a puero modo religetur, in his anaglyptis majoris esse momenti, quam alias, ubi actionem in domu interiore fieri indicet, et rectam et falsam esse apparet. Bene enim aulaeum majoris quam alias momenti est, sed a reliquis anaglyptis quae Medeae fabulam repraesentant, eo tantum differt, quod hic thalami exornationem ipsam, alias thalamum jam ornatum videmus; itaque non usitatum sed festivum esse aulaeum cognoscimus. —

Reliquum est, ut de tota vi eorum monumentorum hic disputetur, quae monumenta nuptialia appellari liceat, et quae fere omnia sarcophagi sunt. Atque hic Rossbachius imprimis memorandus est, qui in libro „Röm. Hochzeits-

1) M. J. 90 et 91.
2) in Raptu Proserpinae II, 320.
3) cf. Arch. Ztg. 1866, 249.

u. Ehedenkmäler“ etiam de parapetasmasi in his monumentis saepissime adhibitis disputavit. Sententiam suam profert in interpretatione sarcophagi de S. Lorenzo fuori le-muro, quem optime, si hoc dici potest, expressum habes apud Lumisden [1]). Ad dextram manum Junonis Pronubae auspiciis dexterarum junctio fit, cum Peitho duoque παράνυμφοι (ita R.) testes adstent. Haec scena expanso aulaeo nota ratione concluditur. Cui (scenae) tergum obvertit vir barbatus, quem Rossbachius sponsum esse dicit, cum deorum agmen recipiat, qui a sinistra manu ad medium progrediuntur. Agmini praecedit popa arietem trahens ad aram, qui cum duobus camillis valde truncatis medium sarcophagum explet, cum supra eos quatuor columnae fabulam inscriptionis ferentes ita distributae sint, ut bis duo congregarentur. Jam vero de parapetasmate illo Rossbachius opinionem vulgarem repetens (interiorem domum eo indicari, tantum quod festivam esse scenam concedit) cum de thalamo omnino non cogitandum esse dixerit, qui impediat quominus publicae sint nuptiae atque in omnium propinquorum conspectu, et, quod dexterarum junctio artissime cum sacrificio sit conjuncta, sacrificium in thalamo fieri posse negaverit, ad firmandam suam sententiam haec fere addit: In sarcophago in sala delle Muse [2]) parapetasma tota anaglypta continet, itaque etiam post agmen sacrificale est, quod modo per domus fores incedit. Cerimonia ac pompa certe in maximo domus spatio fiebant, aqud Graecos in peristylio, in atrio apud Romanos veteres, ubi imagines, lectus genialis, ara stabant. Sed cum etiam portativae essent arae, amplo aliquo atque spatioso oeco floreis sertis atque aulaeis ornato Romanis uti licebat“. Extrema haec vix argumentis firmari possint, nec verisimile est Romanos, qui et publice et privatim mores ritusque veterum summa servabant severitate, etsi atrium Graecorum peristylio appropinquabat, patrum moribus relictis alio loco quam usitato nuptiarum solemnitatem celebrasse, cum ara domus

---

[1]) Remarks on the Antiq. of Rom. Append. III, p. 430.
[2]) apud Pistolesium „Il Vaticano“ V, 97.

lectusque genialis in eodem semper starent loco. Itaque atrium in his omnibus anaglyptis intelligendum esse puto, ubi dexterarum junctio cognoscitur. Jam ex Vergilii, Sallustii, Valerii Maximi, aliorum locis cognovimus, cum in sacris domesticis, tum festis nuptiarum diebus atrium aulaeis esse distinctum atque ornatum. Cum igitur sculptor sarcophagi de sala delle Muse parapetasmate agmen sacrificale et dexterarum junctionem concluderet in atrio, cui fores, per quas bos victima graditur, optime sunt aptae, artifex sarcophagi de S. Lorenzo dexterarum junctionem secludit a reliquis. Cum his optime congruit, in illo non nisi humanas nos conspicere figuras, in hoc agmen deorum imprimis esse, quod etiam, cum sponsus denuo appareat, tempore sejunctum est a dexterarum junctione. Quamquam minime mirarer si etiam in sarcophago de S. Lorenzo parapetasma etiam agmen illud concluderet. Nam in spatioso atrio pompa bene fieri potest, cum dexterarum junctio in extrema parte atrii, ubi lectus genialis stabat, cogitari debeat. Sed non oportebat; etiam artifex necessitate tabulae illius inscriptionis statuendae commovebatur, ut aulaeum non amplius explicaret. Ceterum licet cogites de imitatione exemplorum Graecorum idem quod Rossbachius, in eo quod quatuor illas, quae tabulam ferunt, columnas cum iis templi Thetidis in vase, quod „François-Vase“ vocamus, comparandas esse putat, valde errasse videtur. Columnarum ordinem explicare studet, cum dicat: „Latum illud mesostylum in medio columnarum significatio est introitus in domum“. Attamen symmetriae leges simplissimae hunc ordinem evocant. Nihil aliud dici potest atque hoc: deos excipi aut ante spatium columnis fultum aedis alicujus, aut in eodem. — Quod cetera hujusmodi monumenta attinet, ubicunque parapetasma dexterarum modo junctionem, non sacrificium concludit, hoc sacrificium publicum est, quod nuptias ipsas non tangit; ideoque ante templum aliquod plerumque fieri solet. Conferas sarcophagum villae Tavernae apud Rossb. in tab. I, alium nunc perditum, quem Gorius [1]) in lucem protule-

[1]) Inscript. antiq. III, 34.

rat, alium denique in anaglyptis Mantuanis, quae edidit Labus [1]). Quae alias inveniuntur parapetasmata in hujusmodi anaglyptis, aut thalamum depingunt, sicut in parte minore sarcophagi de Monticelli, ubi a reliquis deis sejunctae Gratiae in cultu nuptae occupatae sunt, aut omnino cubiculum dormitorium, sicut in fronte minore sarcophagi a Gorio publicati. — Denique in anaglyptis sarcophagorum secundi vel tertii a. Chr. n. saeculi, quae conjugum veram plerumque ostendunt effigiem aulaea post tergum maritorum aut conjunctorum aut in duas partes extremas distributorum, bene admonent sarcophagorum, qui nuptias celebrant (cf. Lasinii Raccolta di Sarkoph. etc. tab. 1, 15. 17, 50. 21, 73. 142, 63). Sive maritos sub imagine novae Aphrodites novique Adonis conjunctos [2]) sive mortuos dormientes videmus [3]), aulaeum semper habemus, quod in nuptiis atrium ornabat. Bene enim fieri potuisse judico, ut sculptores hujus generis monumentorum, morem aulaei fingendi ab iis, quae veras nuptias celebrabant, anaglyptis ad similia haec monumenta traducerent. De eo quod extremo loco commemoravi exemplo hoc addam. Conjuges mortuos tamquam dormientes depictos esse ex ea qúa utebar imagine concludi posse credebam. Neque Amores velum laciniis tenentes, ita ut eos dormientes contecturos esse credas, huic interpretationi obstant. Pulcherrimum hoc documentum, verum esse illud quod supra de Vulcano aulaeum tenente dixi. Hic enim maritos velo contegi, illic amantes retecto velo prensos esse credimus errore jucundissimo. Sed quae in mediis anaglyptis sarcophagi a Lasinio tab. 3, 22 publicati inveniuntur aulaea, non satis explicari possunt, cum quid agatur, non sit manifestum. Corneliam illam a Propertio (V, 11) celebratam cognoscere putamus ante Minoem stantem, qui ex volumine judicium proferat; tum aulaeum fuscam judicis aulam ornatam (cf. l. l. v. 5) indicaret. Fortasse autem senex ille barbatus cum volumine poeta est, cujus domum Musarum quaedam coelestium intravit. Quod

[1]) Mus. delle Reale Ak. III, 53; cf. Rossbachium p. 122.
[2]) cf. Mon. Ined. 1862, tab. 68.
[3]) cf. Lasinium tab. 68, 71.

si constaret, aulaeum non aliam ob causam hic suspensum esse judicandum esset, quam ut congrueret haec scena cum eis quae in extremis partibus sunt positae. Neque hoc apud artificem tam novae aetatis (nam etiam hunc sarcophagum secundo vel tertio p. Chr. n. saeculo attribuam) esset mirum. Attamen puto, alteram illam explicationem non prorsus esse rejiciendam, cum hoc carmen Propertii („elegiarum reginam") cujus monumentum nos admonet, illa aetate saepissime lectum esse consentaneum sit. — — — —

Venio nunc ad alteram quaestionis partem, qua de usu velorum in fenestris similibusque luminibus latis claudendis disputandum est. Beckerus in libro „Gallus" inscripto fenestras ipsas primis temporibus foramina fuisse dicit, aut omnino non, aut foriculis clausa. Recte id quidem. Sed vita victuque Romanorum paulum tantum exculto haec foricula num prorsus suffecerint, ut et ventum et pulverem arcerent, dubitare licet. Nonne Varronis, quae jam laudata sunt verba „vela solent suspendi ad excipiendum pulverem" imprimis ad vela, quae fenestras et ea quae portas claudebant, referenda esse putas? Equidem censeo, antequam Romani vitreatis luminibus uterentur, hoc est ante Varronis aetatem velis eos fenestras conclудisse, qui usus postea etiam servatus est. Plinius enim (Ep. VII. 21, 1) dicit: „Cubicula obductis velis opaca nec tamen obscura facio. Cryptoporticus quoque adopertis inferioribus fenestris tantum umbrae, quantum luminis habet. Sic paulatim lucem ferre condisco". Neque hunc usum fuisse singularem, nec vela nisi quod Plinius oculis laboraret fuisse adhibita, summa Romanorum ostendit cura, ne aedificia solis aestu laborent. Qui paullum tantum Vitruvii praecepta, Pliniique descriptiones villarum inspexerit, id semper studium gravissimum esse cognoscet, ut cubicula aestiva soli adversa posita frigida sint, cubicula hiberna calida. Sed hac ipsa dispositione veteres omnia quae appetebant esse adeptos credi non potest; cum paullatim ex fenestrarum angustiis latissima et altissima lumina sint facta. Nam non modo cryptoporticus, Romanorum saepe deliciae et amores et aestivis et hibernis temporibus, in ambabus frontibus „bifores et

valvatas“ fenestras habebant (cf. Plin. ep. II. 17, 16 de cryptoporticu: utrimque fenestrae a mari plures, ab horto pauciores sed alternis singulae) sed plurima, quin omnes fere cubicula (cf. Plin. V. 6, 29 [triclinium quod] latissimis fenestris vineas — quasi admittit). Quae fenestrae, cum specularium usus sit pervulgatus, quanti momenti fuerint, ex eo colligi potest, quod a Plinio ea imprimis laudantur cubicula, quae undique erant perforata („cubiculum quod ambitum solis fenestris omnibus sequitur“). Ubique fenestras velis obductis claudi potuisse puto. Itaque etiam verba Ovidii (A. A. III, 807): „Nec lucem in thalamos totis admitte fenestris“ ad hunc usum velorum refero. Ne id quidem refelli posse judico, etiam ornamenti fenestrarum causa vela a Romanis adhibita esse. Quomodo autem apud veteres specularium et velorum usus conjunctus fuerit, aliis Plinii verbis plane demonstratur, cum Ep. II. 17, 21 haec habeat: „Contra parietem (cubiculi) mediam zotheca perquam eleganter recedit, quae specularibus et velis obductis reductisve modo adicitur cubiculo, modo aufertur“. Conclave igitur habemus, quod foribus certe latis et vitreis, et velis etiam obductis a cubiculo illo separatur, quibus foribus velisque remotis unum spatium efficitur. Nostri homines voce „Alkowen“ hanc zothecam appellant; injuria quantum video. Nam „Alkowen“ conclave sine fenestris est, ab una parte velo clausum. Haec vero zotheca idem fere est quod zothecula villae Tuscae (Plin. Ep. V, 38), de qua Plinius dicit: „lectus hic et undique fenestrae et tamen lumen obscurum umbra premente“.

Age vero monumenta quid de hac re docent? Picturae fere solae hic quaerendae sunt. Sed paucae tantum ad nostrum usum pertinent. Topia quaedam inter parerga domus quasdam et cryptoporticus exhibent, quorum in fenestris vela bipartita spectantur. Sed omnia tam minuta sunt et obumbrata, ut vela facile nos effugiant. Conferas imaginem, quam Gellius Pompeji pag. XXIV ornamentum intulit et alias apud Zahnium (die schönsten Ornam. etc.) tab. II, 73, et I, 60, ubi etiam pars portae amplae velis bipartitis clauditur. Ejusmodi parerga minuta in picturis

veterum nobis summi momenti sunt, quod res veras nullis ambagibus ostendunt.

Nam ceterae quae exstant picturae ob eas omnes, quas supra protuli causas, vela fere nusquam ostendunt. Parerga in picturis quae res mythologicas celebrant, simplicissima et fere neglecta, lineamentis architectonicis imprimis finguntur, quae velis obductis vana essent, et vim effectumque eorum perderent. Attamen permulta illa foramina et minora et majora, quae in plurimis hujusmodi picturis spectantur, ex usu cotidiano esse, itaque ubi sol ea tangeret velis concludi potuisse verisimillimum est. Quod non modo attinet ad haec quae pauca ex multis profero exempla apud Wieselerum [1]) sed ad omnia ea quae in parergis muros minutos exhibent. Exempli causa profero picturas, quae Medeae fabulam (apud Helbigium s. No. 1262) et quae Arem et Aphroditen conjunctos ostendunt (apud eundem s. n. 318). Sic enim existimo artificem, cum haec parerga pingeret, lineamenta vana et inepta, vero prorsus non similia excogitasse minime esse consentaneum. Itaque quamquam pictura, quae Amorum venditionem depingit (apud Wieselerum D. d. a. K. II. 52, 660) nimis parergis niti vetamur, cum ibi murus gradatim minutus positus esse videatur, ut senis figura promineat, tamen locis, humilibus muris conclusis, veteres usos esse credo, quae cum domo arte conjuncta erant et quae frondibus et velis adumbrari poterant. Quare saepe e muro pilam quandam escendentem videmus, quae tectum leve ferat. Fortasse locus hoc modo exstructus voce „procoeton“ apud Plinium appellatur. Tali modo interpretari debemus parerga picturae illius pulcherrimae [2]), quae puellam discum colorum ferentem ostendit, in tabula pingentem. Spatium, in quo sedet, muro humili finitur, ex quo pila in media fere imagine surgit, ita ut et dextra et sinistra manu lumina lata efficiantur, quorum altera ad laevam posita velo conclusa sunt, ut tabulae illi lumen et

---

[1]) D. d. a. K. II. 25, 273. 30, 330. 55, 207.

[2]) apud Helbiginm s. n. 1444, tab. IV.

umbrae aptae afferantur[1]). — Difficiliora sunt ad judicandum parerga picturae, quae Admeti Alcestesque fabulam celebrat (cf. Helbig. s. n. 1158). Petersenius nuper de ea disseruit in Arch. Ztg. 1863, 180; nec tamen illam rem tetigit, nec imaginem sufficientem apposuit. Quam vides apud Overbeckium: Gal. her. Bildw. I, tab. 30, 14. Ex eis quae supra exposui domus conclave recognoscendum est, ante quod porticus est, vel procoeton, vel aliud quoddam spatium columnis subfultum, per lumina lata cum conclavi illo conjunctum. Haec velo concludi possunt, quod hic, laciniis suspensis, partem tantum operit foraminis. Post murum, qui porticum a cubiculo secludit, hoc est, in porticu ipso Apollo et „Nympheutria“ (?) stant; Admeti parentes ibidem stare vix cogitari potest, neque opus est, ut haec omnia artifex accuratissime indicet. Sed quae lineamenta in conspectu ponit, sine ullo consilio picta esse non credendum est; neque haec figuras disponendi ratio cum ea in vasibus pictis adhibita conferri potest, in quibus saepius deorum figurarum superiores tantum partes conspiciuntur. Nam vasorum pictor non modo in figuris disponendis magnam sibi vindicat libertatem, sed in locis ipsis definiendis spectatorum summam poscit cogitationem. Quod cum de prioris temporis tabulis pictis etiam dici possit, tamen omnes fere, qui post Alexandrum exstiterunt pictores naturam ipsam et veri speciem sequi student. Itaque multas ob causas rejiciendum est, quod R. Rochettius[2]) de hac pictura dicit: „ . . . derrière une double barrière, qui est sur notre peinture un moyen équivalent à celui, qu'on voit

---

[1]) Hac pictura comparata non recte Semperum judicasse intelliges, quem sero me inspexisse doleo. Nam in libro „der Stil in den technischen u. tekton. Künsten“ in parergis ejusmodi picturarum scabella, „stehende Wandschirme“, cognoscenda esse putat. In hac, quam tractamus pictura velum a muro bene est distinctum. Etiam lineamenta saepe duplicata, et res variae in summis muris positae (ut gladium in pictura, quae Arem et Aphroditen conjunctos ostendunt: cf. Rochettii choix de peintures tab. 18) muros spissos, non scabella intelligenda esse docent.

[2]) M. J. 76, 6, p. 423 ff.

employé sur tant de vases peints, où les dieux suprèmes président à l'action et les personnages épisodiques servant à indiquer le lieu de la scène, sont représentés en demifigures. La barrière indiquée en avant de Diane et de sa prêtresse (?!) est proprement l'espèce de la balustrade, *ἔρυμα*, pluteus, qui entourait le sanctuaire dans plusieurs temples grecs". Mira haec muri illius interpretatio inde fluxit, quod Dianam ejusque sacerdotem cognoscendas esse non recte judicabat. Ad parerga illa enucleanda aliam picturam afferamus liceat, quam Helbigius s. n. 1332 explicat (cf. Overbeckium Gal. her. Bildw. I, tab. 33, 16). Ulixem et Penelopen vides; illum sedentem, hanc juxta stantem eumque contemplantem. Sunt qui putent, rem in qua sedet Ulixes nondum satis notam, ad vias hortorum allevandas adhiberi solitam esse, nam non in domo, sed foris plerumque invenitur; itaque non cubiculum (ut Helbigius putat) sed aream vel hortum spectamus porticu finitum, in quo Ulixes sedet. Cujus porticus murus fenestram satis latam exhibet, in qua sicut in ea, quam modo tractavimus pictura, pars superior hominis figurae spectatur. Eadem est res, quamvis personae, quae summi momenti sunt, illic in domo, hic foris sint conspiciendae.

Atque de his hactenus. De velis in ostiis adhibitis cum novi quid dici nequeat, locis a Beckero in „Gallo" adhibitis Pollucis locum tantum addam, qui lib. X, 32 haec habet: *„πρὸ μὲν τοῦ κοιτῶνος ἐπὶ ταῖς θύραις παραπετασμάτων σοι δεῖ εἴτε ἁπλοῦν εἴη τὸ παραπέτασμα λευκὸν ἐξ ὀθόνης, εἴτε καὶ τρίχαπτόν τι βαπτόν, εἴτε πολύχρουν"*. *παραπέτασμα τρίχαπτον* idem esse videtur, quod „velum Cilicum" vocatur a Sidonio Apollinari Ep. IV, 24, qui de domicilio modice viventis: tripodes, inquit, sellae, Cilicum vela foribus appensa, lectus nihil habens plumae, mensae nihil purpurae.

Etiam vela corio conserta adhibita esse testis est Etym. Magn. s. v. *δέρρις*: *Ἱμάτιον παχὺ ἢ δέρμα ἢ τρίχινον παραπέτασμα ἐπὶ ταῖς θύραις ταῖς αὐλείαις βαλλόμενον*. In multis autem veterum cubiculis loco quarti parietis, si atrium versus vel peristylium aperiebantur, magnis velis usos

esse veteres, recte Mazovius et Gellius docuerunt. Etiam tablinium a duabus partibus, et fauces domus ita concludi poterant. — Antequam domum ipsam relinquamus anaglyptis a R. Rochettio [1]) editis monemur, ut de lectis veterum pauca addamus. In sarcophago illo volucres duo mortis genii barbati cippis nitentes lectum circumstant, in quo femina jacet. Ad dextram Charonem navigantem, ad laevam Herculem Cerberum abducentem vides. Mortua autem illa jacet sub tecto in coni formam redacto, de quo bipartita vela dependent utrimque rejecta, ita ut lecti pars superior et inferior tantum tegatur. De hoc Rochettius (p. 226) „On voit, inquit, au centre de la composition sous une espèce d'alcove une femme tendue sur un lit". Sed ubinam conclave conspicitur, quod „alcove" appellari possit? Ecce illud tectum suis pedibus fertur; itaque ligneum fortasse est, sicut lectus ipse. Tota res maxime conferenda est cum eo quod nostri homines „Himmelbett" vocant. Etiam memineris, ab arcu lecticae vela plerumque dependere, eamque velis obductis reductisve opertam vel apertam vocari; quin et in lectica funebri tale quid videri licet. Pro velis illis vel plagulis etiam reticula adhiberi testis est Ael. Spartianus [2]), quem supra jam laudavi: „fertur etiam aliud genus voluptatis, quod Verus invenerat. Nam lectum eminentibus quatuor anacliteriis fecerat minuto reticulo undique conclusum, eumque foliis rorae — replebat". Nova in hoc praeter rosarum folia, quatuor illa anacliteria erant, cum alias unum vel duo tantum (alterum ad caput, alterum ad pedes) conspiciantur (cf. Salmasium in Casauboni editione scriptor. hist. Aug. p. 63). Anacliteriis altis circumductis minuto sane reticulo opus erat, ut lectus undique clauderetur, cum in anaglyptis illis ad terram dependerent vela. —

Alius est usus velorum in cavis aedium et in hortis. Cava aedium arboribus et fruticetis umbrari Vitruvius jubet (V. 9, 5) „quod hypaethroe ambulationes habent magnam salubritatem". Attamen arbores umbrosae in amplis tan-

---

1) M. J. tab. 42 A.

2) Ael. Verus I. 29, 28.

tum areis inveniebantur; plerumque umbra velis coloratis [1]) super cavaedia tensis efficiebatur. Ne plura de his disseram sufficiat, me tres hujus rei afferre testes. — Plinius Nat. hist. 19, 1 (6) 25 de velis dicit: Rubent in cavis aedium et muscum ab sole defendunt". Ovidius (Met. X, 595):

„Inque puellari corpus candore ruborem
Traxerat, haut aliter quam cum super atria velum
Candida purpureum simulatas inficit umbras".

Denique in Ulpianis Digestis, quae supra jam commemoravi, inter vela quae in hypaethris extenduntur et ea quae sunt circa columnas, differtur.

Sed cum veteres, sicut hodie etiam Italici, magis extra domum quam intra eam versarentur, umbracula ipsa in hortis summi momenti fuisse judicandum est. Apud Graecos ejusmodi umbraculum *κλισίον* vel *σκηνή* vocatur: *κλισίον* etiam lignea casa vocari potest, sed plerumque ex velis potissimum constat, *σκηνή* autem et velis et frondibus facta est, nam apud Athenaeum (V. p. 196 A.) *σκηναὶ λευκοῦ κιττοῦ καὶ ἀμπελώνων* commemorantur. Sed proprium est *σκηνῆς*, ut vel tota vel tectum ejus velis expansis constet. Itaque pars superior currus tegumentis linteis cooperti *σκηνὴ* vocatur; Plutarchus Alex. 88 (*ἅμαξαι ἁλουργοῖς καὶ ποικίλοις περιβολαίοις σκιαζόμεναι*) de re ipsa conferendus est. Item diaeta in puppi navis sic vocatur a Charitone [2]): *εἶχε δὲ ἐπάνω σκηνὴν συγκεκαλυμμένην Βαβυλωνίοις περιπετάσμασι.* Neque dubitantum est, quin tegumentum ipsum voce *σκηνὴ* sit appellatum. Nam apud Demosthenem [3]) accusator hereditate defraudatus praeter multas alias res pretiosas (*φιάλην* etc.) etiam *σκηνὴν* enumerat, cujus ratio non est habita in hereditatis distributione, ut ille particeps ejus non sit factus. Reiskius in translatione germana aulaeum vel stragulum intelligi vult, quod in terra ponebatur, ut in eo jaceres vel sederes; sed neque aulaeum

---

[1]) Hunc colorum amorem etiam alias apud Romanos invenimus. Nam non modo in theatris, sed etiam in navibus vela rubra, purpurea, versicoloria commemorantur.

[2]) de Chairea et Callirrhoe VIII. 6, p. 185.

[3]) contra Spudiam 41, 11.

ad ornandos parietes, nec stragulum hac voce appellari potest, quae tegumenti semper speciem praebet. Itaque Schaeferus[1]) umbellam esse σκηνὴν putat. Harpocrationis verbis niti videtur, qui s. v. σκηνὴ haec habet: *οἱ μὲν κόσμον τινὰ γυναικεῖον εἶναί φασι, οἱ δὲ σκιάδιον.* Equidem σκηνὴν non umbellam sed umbraculum esse judico, hoc est, velum pretiosum, quo tegumento utuntur in hortis. Res non minimi momenti fuisse oportet; nam ridiculum esset, si accusator inter criminis causas has: mercedem habitationis, duarum minarum pretium, pateram pretiosam, quae cum aliis rebus aureis pignori est data, umbellam proferat, rem minimi pretii. Cur non soccum quendam etiam quaerebat? Atque ad verba ipsa animum vertas; dicitur enim: *σκηνὴν δ' ἣν ἔχουσιν, οὐδέ γε ταύτην λαβόντες ἀναφέρουσι:* ne umbellam (?) quidem quam possident proferunt. Itaque rem ceteris praestantem commemorari exspectamus. Etiam numerus pluralis, ἣν ἔχουσι, quam (communiter) possident, domus instrumentem hic intelligendum esse docet. — Apud Thucydidem II, 34, 2 in foro Atheniensi σκηνὴ exstruitur, in qua defunctorum ossa per tres dies exponuntur. Classenius σκηνὴν „Gerüst, Tribüne" interpretatus non recte fecisse videtur. Nam cur tabulatum vel pulpitum exstructum esse credamus, in quo ossa deponerentur? Haec res nullius momenti est; sed tugurium vel umbraculum intelligas, in quod propinqui munera et alia ferunt, velis expansis ne mortuorum ossa per tres dies sub divo jaceant, neve sole torreantur (cf. Lysiam 12, 18 ubi corpus, quod in domu exponi vetatur, ἐν κλισίῳ exponitur). Denique σκηνὴ theatri inde nomen invenit quod primis temporibus frondibus et velis facta erat.

Romani vocibus umbra et umbraculum imprimis utuntur, quibus tugurii lintei non ita admonemur, ut voce σκηνή. Umbra plerumque locum arboribus vel hedera vel aliis frondibus tectum obumbratumque significat. Saepissime autem locus frondibus coopertus velis etiam clauditur, quo difficilius sol intret.

---

[1]) Demosth. u. s. Zeit III.

Praeter monumentorum testimonia Ciceronem [1]) affero, qui tabernacula carbaseis intentis velis commemorat, dum apud Paulum (ex Festo) scribitur „umbrae vocabantur Neptunalibus casae frondeae pro tabernaculis. Itaque tabernacula modo velis linteis, modo frondibus facta sunt. Neptunalibus, in quibus ludi ad Tiberim prope Ostiam edebantur, umbrae frondibus factae velis fortasse densiores reddebantur, ut vespere et noctu defenderentur vento. Similì ratione *καλύβαι* apud Athenaeum sunt factae; narrat enim de Etruscis: *ἀφροδισιάζουσι δὲ καὶ ποιοῦνται τὰς συνουσίας οἱ μὲν ὁρῶντες ἀλλήλους ὅτε δὲ τὰ πολλὰ καλύβας περιβάλλοντες περὶ τὰς κλίνας, περιβέβληται δὲ ἄνωθεν ἱμάτια.*

Velis solis utitur juventus rustica apud Tibullum II, 5, 97:

„Tunc operata deo pubes discumbet in herba
Arboris antiquae qua levis umbra cadit
Aut e veste sua tendent umbracula sertis
Vincta, coronatus stabit et ante calix".

Optime illustrat hunc Tibulli locum longa series picturarum apud Helbigium s. n. 757. 760. 766—768 descriptarum (cf. Zahnium III, 51, 52, 31, 41, 43), quae Amorem et Psycharum gregem epulantem vel tale quid agentem celebrant. Circa mensas virides hemicyclias sedent tecto usi velis supra perticas tensis, vel cum arboribus junctis. Etiam fabulas dant, tali modo scena instructa (cf. Zahnium III, 53). Haec igitur vero vitaeque ipsi simillima esse Tibulli verba demonstrant. Convivia et symposia sub divo levique velorum tecto non modo ruri, sed simili modo in divitum villis saepius quam putares celebrari solebant. Umbraculum, quod frondibus et velis suspensis efficitur, vides in anaglyptis apud Wieselerum D. d. a. K. II. 68, 857, in quibus Hadem et Persephonen more antiquo ante regiam sedentes fecit artifex. Regia ipsa foribus est significata. Dei in umbra sedent, quae velis in arboris ramis fixis efficitur. Ejusmodi tecta ex tempore construi, monumentum hoc pulcherrime docet. Ecce enim, pars veli quae tergum tuetur

[1]) Verr. II. 5, 12.

negligenter est suspensa. — Juvat etiam parvum opus topium contemplari ex Casa dei Capitelli colorati (cf. Zahnium II, 73. Inter duo aedificia bis vela longa extensa vides, quae totum hortum umbrant, qui inter aedificia est. Fustibus vela in finibus gravata videntur, quo facilius affigantur, vel quo commodius complicentur. — Aliud adeamus monumentum in hac quaestione disputatione maxime dignum, opus musivum, de quo O. Jahnius, vir illustrissimus et doctissimus, in Arch. Ztg. 1858 p. 157 verba fecit (cf. tab. 113). Achilles inter Lycomedis filias ab Ulixe cognoscitur. Medium tenet Achilles juxta quem filiae regis surrexerunt jam obstupefactae voce Ulixis et ejus sodalis tubae sonu, qui murum ascenderunt in tergo illarum exstructum. In hoc muro supra capita Achillis et virginum aliquantum eminenti velum est fixum, quod locum obumbrare videtur, clipeo quodam in fronte ornatum. Ad dextram manum regiae pars murum attingit. De quibus O. Jahnius: „Die Hauptgruppe, inquit, ist in einem Raum dargestellt, welcher durch eine aus Quadern aufgeführte Mauer abgeschlossen ist; über dieser wird ein von oben herabhängender blauer Vorhang sichtbar, *der wohl andeuten soll, dass wir einen dem Blick für gewöhnlich nicht zugänglichen Raum vor uns haben, das Gynaikeion;* eine Mauer, welche rechts bemerkt wird, zeigt dass dieser Raum einem grösseren Gebäude angehört". Itaque arte symbolica gravissima usus pictor velo extenso locum alias oculis detractum intelligi vult! Mira sane haec interpretatio. Ubi in musivis tale quid invenias? Omnino nego hoc fieri potuisse, nam de musivis operibus idem fere valet, quod supra de posterioris temporis picturis dixi, eas etiam in parergis naturam ipsam aemulari. Ergo usum cotidianum fuisse cognoscimus, in hortis vela simplicissima ratione suspendere. Conferas aliam, quae eandem rem depingit picturam apud R. Rochettium „choix de peintures" tab. 21. Achilles cum Lycomedis filiis in loco versatur, non muro sed porticu finito, quorum in intercolumniis vela sunt extensa; quae ubi sunt fixa in epistylio, clipeis ornata sunt. Per gradus nonnullos ex area vel horto in porticum et domum intrant. Audiamus quid

dicat Rochettius: „le fond du tableau présente une galérie soutenue par des couples de colonnes du milieu, avec une porte entreouverte en face d'un des entrecolonnements, et avec un tapis suspendu, περιπέτασμα, en avant d'un autre. C'est l'image du gynaecée où se passe l'action dans une ordonnance d'architecture digne du caractère héroique de la scène". Ineptiae hae sunt minime ferendae. Ullum graecorum gynaeceum huic simile fuisse nego, cum ea in superioribus domus partibus plerumque posita essent. Cave ne credas, feminas graecas nisi in gynaeceo, nullo alio loco domus inveniri potuisse, areae atque horti usum eis fuisse negatum. At enim etiamsi haec ita essent, quod minime credendum est, artifex domus leges negligere potuisset. Tribus illis gradibus plane demonstratum est, locum sub divo ante porticum esse intelligendum. In musivo autem illo umbraculum ipsum horti vides; veli formam triangulam aptam fuisse pictori judicandum est, quamquam ejusdem formae umbraculi exempla non deficiunt. Conferas picturam illam celeberrimam, quae rixam in theatro Pompejano depingit (Giornale degli Scavi Vol. I, tab. 8). Ibi in arboris ramis veli duo laciniae sunt fixae, sicut illic in muro, tertia pertica nititur. Atque haec imprimis pictura, quamvis in ea parva sit ars, cum naturam ipsam ostendat, nobis maximi momenti est. Itaque, ut rursus ad musivum illud redeam, Ulixem cum sodali murum, quo hortus circumdatur, ascendisse puto, ubi sub umbraculo Achillem cum virginibus conjunctum invenit. Cui interpretationi minime obstat, quod fusum et quasillum illae secum ferunt. — Ex his quae exposui intelliges, veteres multo saepius ejusmodi umbraculis usos esse, quam nos; itaque judicandum est, etiam sedilia e marmore, quae Plinius in horto villae Tuscae commemorat, quae ambulatione fessos „ut cubiculum ipsum" juvant, etiamsi sub arboribus posita erant, frondibus et velis circumdata fuisse. Quae umbracula alias occurrunt: pergula umbrosa apud Plinium (N. H. 14, 1 (3) 11), stibadium candido marmore (quod) vite protegitur (Plin. ep. V, 6, 32), picturis satis illustrantur, quas vides in Pitture d'Ercol. II, tab. 49 et II, p. 103. Sed credendum est, si-

cut etiam hae picturae docent, non tam frondibus luxuriantibus atque densissimis usos esse veteres, quam iis quae venti flatum non prorsus arcerent, ita ut praeterea velis uterentur. De trichilis autem, hoc est umbraculis arundineis vel canneis, quibus utuntur in lasciva taberna Copae Syriscae (apud Vergilium Copa 8) et in hortis ad plantarum salutem (apud Columellam I, 394) et quae in castris Pompeji luxuriae speciem prae se ferunt (Caes. bell. civ. III, 96, 1) cf. Uhdenium in „Wolf's Museum d. Alterthümer" I, 538, et musivum illud celeberrimum Palestrinense apud Bartolium „recueil de peintures". — Denique veteres aliud etiam umbraculorum genus habebant. Muris enim duobus humilibus exstructis ita ut cum domus alicujus pariete locum a tribus partibus conclusum efficerent, hunc in modum tentorii frondibus et velis tegebant, parietes ipsos aulaeis ornabant. Testes certi adhuc etiam Pompejis hos muros modica altitudine exstructos inveniri affirmant. Muri autem tenuissimi pilis in frontibus eorum positis et firmantur et ornantur, in quibus vasa vel tale quid imposita esse solebant. Ejusmodi umbracula etiam prope sepulcra invenies. Nec mirum hoc. Nam in his, variis temporibus, coenas fnnebres habitas esse pro certo affirmari potest. Scimus ex multis inscriptionibus defunctorum voluntatem testantibus coenam et aliud epulum certis diebus amicis parari. Conferas inscriptionem apud Sponium (Miscell. erud. antiq.) „hujus monumenti jus quod maceria conclusum est cum *taberna* et coenaculo heredem non sequetur, neque intra maceriam humari quemquam licet". Locupletissimi etiam triclinia funebria habebant [1]). Etiam trichilae, de quibus modo dixi, in inscriptionibus sepulcralibus inveniuntur, ita ut umbracula vario modo instructa prope sepulcra adhibita fuisse cognoscas. — Quae cum ita sint multa illa anaglypta satis nota, quae Dionysium apud Icarium advenientem celebrant [2]), quantum ad locum ipsum attinet, ita modo interpretari possumus, ut dicamus, umbraculum ali-

[1]) cf. Guhlium et Konerum „Leben der Gr. u. Röm." p. 468 et 770.

[2]) cf. Jahnii Arch. Beitr. p. 198 etc.

quod in horto Icarii repraesentari, quod muris a dextra et a sinistra manu conclusum esse cogitandum est. Muri autem ipsi pilis ornantibus significati tantum sunt, utpote a fronte conspecti. Domus autem parietem aulaeis distinctum vides. Modo ne credas cum O. Jahnio, marginem in illo quadratum fores significare. Nihil aliud est, quam decus parietis. Umbraculum velis contectum esse cogitandum recte Claracius jam dixit [1]: l'endroit où l'on reçoit Bacchus, quoiqu'il paraisse découvert, est tendu de grandes tapisseries, peripetasmata, aulaea. Umbraculum muris conclusum frondibus etiam contegi posse, anaglypta Parisiensia docent apud Wieselerum D. d. a. K. II. 33, 374 et vas vitreatum insigne in Mus. Borb. 15, 55 et 56, quod cum eis, qui Dionysium et Icarium ostendunt anaglyptis bene conferri potest. In umbraculo pampinis tecto quatuor pueri bibentes, uvas secantes etc. conspiciuntur, lectus etiam in eo, sicut apud Icarium, duobus pilis vel columnis circumdatur, in quibus statuae ponebantur [2], dum hic puer in alteram earum ascendit, ut uvas caperet. — —

Studium veterum et Graecorum et Romanorum in locis umbrosis sub divo vivendi fastigium attigisse puto inventione conclavium (si ita appellari possunt) sine tecto in formam aediculae hemicycliae vel quadratae redactorum, quae *exedras* vocant. Omnibus commune id esse, ut sine tecto sint, praeter veterum testimonia nomen ipsum indicare videtur. Utebantur iis philosophi, in quibus sermones philosophicos haberent; homines privati, ut sermocinationes inter amicos et familiares haberent. Imprimis autem in publicis aedificiis erant, ut in gymnasiis, in quibus homines colloquerentur et in amplis templorum areis. Plerumque inter porticus vel cryptoporticus ita sunt positae exedrae, ut recedant aliquantum aediculis similes; semper autem loci sunt patentes et aperti. Celeberrima est exedra publica illa, quae curia Pompeji appellabatur, in qua Caesar est interfectus [3]. Alias apud Guhlium et Konerum vides (Leben der Gr. u.

1) Musée de Sculpture II. 1, 403.
2) cf. Wieselerum D. d. a. K. II. 33, 374.
3) cf. Beckeri „Röm. Alterth." I, 615.

Röm.). Denique in thermis etiam exedrae erant usitatae. In his omnibus ne solis aestu perturbarentur homines, vela suspendi potuisse arbitror, quamquam certa judicia afferri non possunt. Nam utrum in diptycho Modoetiensi, quod Gorius [1]) edidit, exedra cognoscenda sit, quomodo Gorius aediculam columnis ornatam appellat, an aliud quoddam conclave, dubitari potest. Sed aliud monumentum hic respici debet; puto enim, anaglypta Musei Lateranensis, quae Benndorf et Schöne [2]) ediderunt, exedram ostendere. Locus patens et apertus, cujus paries aulaeis distinctus est, horologio solario ad dextram posito cognoscitur; scena ipsa recitationem inter viros doctos repraesentare videtur.

Priusquam hujus partis quaestionis meae finem faciam, pauca addenda sunt et de officinis fabrum et de tentoriis militum. Inter fabros ei qui officinae ferrariae sunt, imprimis memorandi sunt, quod crebra monumenta, quae Vulcanum in officina depingunt, nos adjuvant. Jam supra picturam attuli, quam Helbigius describit s. n. 1318 c (non b), cf. tab. 17. Thetis in officina Vulcani arma filii contemplatur. In tergo deae inter columnam et aulae parietem velum tensum esse cognovimus, quod partem aulae secludit. Certe aula et atrio primis temporibus, dum officinae ipsae nondum aedificatae sunt, utebantur veteres. Ancillae lanam in atrio trahentes notae sunt. Sed plerumque fabrorum ferrariorum potissimum caminus sub divo erat. Conferas picturam apud Helbigium s. n. 259, tab. IV: Vulcanus duoque Cyclopes ferrum tractant; a tergo illorum caminus est, ad dextram tugurium vel domus, cujus de tecto veli cujusdam laciniae dependere videntur, quod demissum arceat solem et ventum. Alteram contempleris picturam, quae rursus Vulcanum et Thetidem ostendit (Mus. Borb. X, 18). Thetidis sodalis tubae novae sonum dat; velum scenam concludit. Jam vero intelligo, quomodo fieri potuerit, ut ejusmodi parapetasma nullam aliam ob causam suspensum esse crederent, quam quod artifici commodum esset ad

---

1) Thesaurus diptych. II, tab. 8.

2) Antike Bildwerke des lateran. Mus. tab. 13.

picturam circumscribendam; ita ut sint qui dicant contemplantes picturam quandam ex thermis Titi (de quo infra dicendum erit) velum suspensum *more veterum picturarum impedire prospectum* (cf. Sicklerum, Almanach aus Rom II, tab. 3). Nam hac ipsa quam tractamus picturam, non adducimur ut credamus, velum ex usu cotidiano esse ab artifice aptissime adhibitum; sed alia pictura, quae eandem rem similiter depingit; videas eam apud Fiorellium in Giorn. degli Scavi 1862, tab. 5. Eo tantum differunt picturae, quod in hac Thetidis sodalis est volucris, et quod virga in clipeum ostendit. Velum autem dilucide in arboris ramis est illigatum, unde scimus et in hac et in illa pictura locum sub divo esse intelligendum, quem velo fabri a sole ventoque defendere student.

Restat ut de tentoriorum castrensium in veterum monumentis significatione aliquid addam. Velis et ferarum coriis imprimis usos esse veteres ad tentoria tegenda satis constat (cf. Xen. Cyrop. IV, 5, 39). Praefectos autem et imperatorem ipsum solidiora tentoria habuisse vix negari potest. Tamen tabernacula hedera protecta vel trichilae in castris Pompeji a Caesare valde vituperantur, cum nimiam luxuriam et victoriae fiduciam designet (bell. civ. IV, 96, 1). Simplicissima ratione Marcomannorum tentoria constructa sunt in columna M. Aurelii apud Wieselerum, D. d. a. K. I, 71. 395, et Achillis tentorium in tabulae Iliacae linea *Ω* (cf. Overbeckium, Gal. her. B. 20. 9). Utrimque parapetasma tentorii plagulam significat, neque dici potest, in his artem symbolicam minorem adhibitam esse, quam in significatione parietum aulaeis ornatorum; nullam omnino intelligas esse adhibitam. Itaque etiam in anaglyptis quae mortem Meleagri in pugna inter Curetas atque Aetolos celebrant [1]), velo tentorium Meleagri significari constat, etiamsi castra tam prope urbem Calydonem, cujus porta est conspicua, posita esse non est verisimile. Sed hoc ad artificis rationes minime attinet. Tentorium ipsum in fronte clipeo

---

[1]) apud Millinum, Gal. Myth. II, 104, 414; melius expressum idem vides in Mon. Ined. 1869, IX, 2.

est ornatum; caput bestiae cujusdam praeter vela etiam pelles adhibitas esse ostendit in exstruendo tabernaculo. Huc usque artifex verum et vitam cotidianam imitatus est in parergis! Tabernacula Achillis in monumentis, quae Briseidis raptum vel Priami adventum celebrant, solidiore materia aedificata esse solent. Plerumque lignea sunt, in fronte columnis subfulta velisque ornata (cf. Inghiramii Gal. Omer. tab. 233. 30. 33; Mus. Borb. II, 58 = Ternitii Wandgem. VII, 7; R. Rochetii M. J. tab. 19). Quae vela subducta loco quarti parietis sunt; nam in columna Trajana omnia tabernacula hoc modo constructa videmus, cf. Bartolii C. Tr. tab. 7, 97 etc. — Cum Achillis tabernaculo regio in picturis illis conferas tentorium Cyri regis barbarorum in pictura celeberrima, quam vides in Arch. Zeitung 1866, tab. 205. Tentorium velis in coni formam extensis efficitur; cui adjacet aliud, quod gynaeceum fortasse est (cf. Xenoph. Cyrop. l. l.). Totum amplo muro ligneo conclusum est. Non sine consilio artificem ita egisse credo, ut mores barbaros depingeret.

Jam vero quaeramus, quomodo vasorum pictores, usu velorum maxime abstinentes, rem gesserint. Duo sunt commemoranda vasa: Amphora Canusina, quae ludos funebres Patrocli in honores[1]) et calix quaedam, quae Briseidis fabulam repraesentat. In amphora Canusina supra Patrocli rogum lectum conspicimus, in quo Phoenicem veterem jacere Minervinius dicit cum Nestore colloquentem. Adolfus Michaelis[2]) lectum sub tentorio positum esse judicat; Achillis esse tentorium, in quo Phoenix remaneat dum ceteri nuntii ad Achillem missi redierint (Il. I. 617). Num recte haec disputata sint dijudicare nolim; hoc dico, de tentorio illo esse dubitandum. Nam ita est constructum: inter summas quatuor perticas erectas velum est extensum ita, ut perticae prope lecti pedes positae sint. In hac amphora tam superba et eleganti hoc modo tentorium esse indicatum minime credo. Nam non levitate et securitate ductus pictor

[1]) Mon. Ined. 1871, IX, tab. 32. 33.
[2]) Ann. del' Inst. 1871, p. 183.

ita egit, sed cum diligentia quadam res depicta videtur. Valde itaque esset mirum, si lectum in tentorio positum intelligi voluisset artifex, cum pars inferior lecti ultra perticas illas esset prolata.

Equidem ita judico: lectum coelo quodam tectum intelligendum esse, quod nos „Baldachin" vocamus. Bovis caput ad laevam lecti aut ipsum Achillis tabernaculum indicare videtur, aut murum circumcludentem, ante quem lectus ille positus est. Neque rotae duae huic interpretationi obstant. Nam in pariete, quem attingit lectus, suspensae sunt. Sed haec pro certo affirmare nolim. — Dilucide autem tentorium Achillis in calice est repraesentatum (apud Overbeckium, Gal. her. B. 16, 3). Quatuor columnis, quarum duo tantum vides, vela sunt suffulta, quae sinibus amplis dependent in lateribus. Non prorsus hoc tentorium dissimile esse videtur vero, etsi ut multa animo suppleantur artifex postulat, utpote vasorum pictor. In fronte aut in eo latere tabernaculi, quod sole non inficitur, vela tolli solita esse maxime credendum est.

Cum hac calice conferas hamam vel situlam aeream ex Galeria Doria, quam Brunnius edidit [1]). Opus quarti fere post Chr. natum saeculi est, quomodo vir doctus ille ex arcubus supra columnas cognovit, satis incultum; attamen nobis memoratu dignum. Spatium quatuor columnis in singulas partes est divisum; duo autem scenas esse repraesentatas mox intelligis, quarum altera ostendit Briseidem ab Agamemnonis praeconibus ex Achillis tabernaculo ad principem abductam, cujus caput lucis splendore circumdatum est. Achilles autem maerens lyrae sonum elicere studet. In altera parte recte Brunnius Priamum cognosse videtur, qui ut filii corpus quaereret, in Achillis tabernaculum venit. Sicut apud Homerum, ita etiam hoc loco vespere regi lectus est stratus, sub quo puerum dormientem vides. Achilles lyram tenet. Etiam Briseis cum amica adest. In utraque parte, ubi Achillis tentorium esse cogitandum est, bis duo vela valde minuta et nodata suspensa

---

[1]) Mon. Ined. 1860. IV, 48; cf. Annali del' Inst. 1860. p. 494.

sunt, quae si alia exempla non adessent vix interpretari possemus. Brunnius neglexit ea, certe quod ea non cognovit. Sine dubio vela indicata sunt, quae tentorium Achillis circumdant; sed miro sane et singulari modo; neque tamen symbolico; sed decurtata sunt vela et in angustum coacta. Non aliter vela esse explicanda, diptycha ejusdem aetatis optime ostendunt, quae vides apud Gorium thes. dipt. — Hac re adducor, ut denique de ratione ipsa velorum in cistis aereis significandorum pauca addam, quae exemplis demonstrare liceat. Cistas Praenestinas imprimis contemplemur oportet. Saepissime in eis, quae recedunt partibus lineamenta undulata spectantur, quae vix explicari posse videntur, cum satis libera et dissoluta sint. Imprimis spatium iis explendum esse elucet. Sed sine ullo consilio ea inscripta esse minime est credendum. Cistae Praenestinae, quam Brunnius edidit Mon. In. 1862, tab. 61, 62 (cf. Annali 34 p. 5) in inferiore parte pugna quaedam illustratur. Lineamenta illa, quae vides, regionem clivosam indicant; in media parte Trojanorum juvenes necantur in honorem Patrocli. Duobus arboribus male descriptis parergis usus est artifex. Lineamenta supra capita omnium scripta clivorum propinquitatem significant; nam quamquam res in planitie Trojana cogitanda est, fieri non potuit, ut artifex studium explendi omitteret. Atque rursus in summa cista ubi feminarum et virorum fabulosorum epulum fictum est, inter singulorum capita lineamenta undulata conspicis, quae sine lege ulla scripta videntur, ita tamen, ut sinus hemicyclii non ad terram sed in altitudinem sint aperti velorum ratione suspensorum. Neque dubitandum est, quin hic aulaea indicentur, quae artifex in monumentis, ubicumque epula celebrantur, a tergo personarum suspensa esse semper vidit. Quae nobis etiam perlucidiora videbuntur, si hanc cistam cum alia contulerimus, quam R. Schoenius M. Ined. 1868. VIII, tab. 56, 57 edidit (cf. Annali p. 415): Vir barbatus cum conjuge adventum juvenis militis exspectat, cujus equum puer trahit. In partibus superioribus quatuor columnae sunt indicatae. Sequuntur ad laevam manum duo juvenes cum puellis duabus. Quorum inter ca-

pita, item in intercolumniis illis, lineamenta vides similia iis, quae modo contemplati sumus. Schoenius de hoc: „Le colonne, inquit, disegnate nel fondo del quadro accenneranno che la scena accade sia nel' interno d'un palazzo, sia nelle sua vicinanza; giachè il cavallo non puo immaginarsi esservi entrato proprio nell' interno. Le linee ondeggianti che si vidono nello spazio vacuo tralle teste delle figure, accennano, se non m'iganno, alcune bende sospese tra le colonne, benchè esse si trovino pure vicino alle quatro figure (puellae et juvenes) — senzachè vi siano disegnate colonne". Non multum abest vir doctissimus a vero, etsi „bende" („Binden") non rectum esse apparet. Vela quae porticum opacent, cognoscenda esse constat. Cetera autem vela inter capita quatuor personarum umbracula significare videntur.

Partem hujus quaestiones alteram: Ueber den Gebrauch der aulaea und vela im Leben und der Kunst der Alten („den Tempel, die Oeffentlichkeit und das Theater betreffend") in Miscellaneis philologis „Festschrift des philologischen Vereins zu Göttingen 1876" invenies eisdem typis expressam.

Dumbarton
11/20/60